TRACTATVS
DE PROHIBITIONE
DVELLI.

IN QVO QVICQVID A CLEM. VIII.
Pontifice Max. de Duello ſancitum eſt,
breuiter explicatur.

F. BONAVENTVRAE COLONNENSIS
de Florentia, Ord. Min. Conu. Artium, & Sacrę
Theologię Doctoris; ac inter Thæologos
Florentinæ Vniuerſitatis minimi.

AD REVER. P.F. FELICEM FRANCISCHINVM
de Caſſia Doctorem Theologum, totius eiuſdem Ord.
Miniſtrum Generalem meritiſſ.

BIBL. NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



FLORENTIAE, M. DC. XXV.
Ex Typographia Sermartelliana.

Superiorum Permiſſu.

REVERENDISSIMO PATRI

F. FELICI FRANCISCHINO DE CASSIA

Art. & Sac. Theol. Doct. Ordinis Min. Conu. Miniſtro Generali ſuo liberaliſs. mecœnati.

Fr. Bonauentura Colonnenſis à Florentia Ordinis eiuſdem, Felicitatem.

QVemadmodum (Reuerendiſs. Pater) prima operis delineatio, quamquidem pictor induſtrius adūbrat, interdum gēmæ nitorem, ſeu ſplendorem, vel carbone, vel leui penicillo

cillo

cillo ita exprimit, vt natiuam illius
vim imitatione aſſequi videatur, ſpe
ctantium lumina ſuaui dulcedine
paſcit; vtinam ſic ego veluti pictor
in tabula huius de Duello tractatus,
quem tibi dedico, pingere ſcriben-
do valerem; vt ſi non foret alijs ad-
miratione dignus, ſit tibi ſaltem ac-
ceptus: at quia ipſemet tractatus
quaſi paruula imago furuis fucata
carbunculis, rudi penicilli colore
depictus eſt, ea præſtantia non eſt
futurus, quam vellem; quaſecum-
que opuſculum hoc ſit, in lucem
tuæ tutelæ clypeo munitum eden-
dum cenſui, idque facere auſus ſum,
quia animi mei in te propenſio ma-
xima eſt, & tantorum munerum
tuorum ſarcina penè obrutus, illis
aliqua ex parte reſpondere deſide-
ro. Hunc igitur de Duello indu-

ſtriæ meæ fœtum exiguum, ad vti-
litatem æſtimantium conſcientiæ
candorem compoſitum, tuæ tute-
læ commendo, etſi per manus ho-
minum circumferri contigerit, cha-
ractere tui nominis in fronte con-
ſcripto, licebit illi contra morſus
Theoninos inſurgere, & veluti Cer
ua, non Cæſaris, ſed Felicis nomi-
ne munita, ſic eloqui, Noli me tan-
gere, & tantummodo Felicis no-
men efficiet, vt Cynicus, & Ari-
ſtarcus, roſtro ac dentibus in eum
ſeuire non valeant; Exiguum ergo
grati animi ſignum, & meum in te
obſequij argumentum læto animo,
pro ſingulari tua humanitate exci-
pere digneris, etiam atque etiam
rogo. Interim Deum Opt. Max.
ex animo enixè prȩcor, vt te bona-
rum literarum mecœnatem, & pio-

rum

rum laborum tam ſtudioſum fautorem, Seraficæ Religioni, vnaq; mihi diutiſſime & ad Neſtoreos annos incolumen ſeruet, atq; fortunet.

Florentiæ 14. Iulij 1625.

AD

AD AVCTOREM
Tractatus de Prohibitione Duelli.
ANDREAE SALVADORII.
Epigramma.

TEllurisfœtus, monſtrum execrabile Phyton
Creuit, & inſolito terruit aſtra metu.
Ore vomens virus, ſtragemque luemque ferebat
Cum cecidit telis Delie Phœbe tuis.
Creuerat hinc Erebi Proles veſana Duellum,
Vaſtabatque animos prodigioſa lues.
In morem Phœbi mentis tu dirigis arcum,
Et lingua iaculis Bellua victa cadit.
Ergo minus iactet Phytonis vulnera Titan,
Et Citharam in laudes temperet ipſe tuas.

Cæſaris Mariæ Malaſpina Marchionis,
Ad lectorem Epigramma.

PArua quidem docto cernis ſed culta labore
Dogmata, quæ aſtripotens ſancijt ipſe Deus;
Ex his ſulphureas barathri vitare cauernas
Diſces, atq; arces ſcandere ſydereas.

Azzi

Azzi Hiacinthi Malaſpina Marchionis,
In Auctorem Epigramma.

DUm tu diuini profers pia iura ſenatus,
Tartareis reddis pectora tuta dolis,
Atq; ita dum reſeras diuinæ oracula mentis,
Aliger attonitis diceris eſſe viris.

Incerti Auctoris ad pium Lectorem.
Diſticon.

IMpia ſacrilegi deuita Iura Duelli
Quomodo id effugias, perlege lector opus.

R. IOANNIS MARIAE
Ioannelli Volaterrani.
In laudem Tractatus de Duello.
Epigramma.

MArmoreas alij celebrent Semyramidis Vrnas
Et falſi laudent templa ſuperba Dei,
Pyramides Nili, radiantia tecta Luculli,
Et quæ longa dies ſingula fauce terit.
Hoc opus extulero ſuperat, quod longius æra
Plurima namque homini diffluit inde ſalus.
Illas corrodit carioſo dente vetuſtas,
Hoc manet æternum cuncta per ora virum.

TRA-

TRACTATVS
De Prohibitione Duelli.

R. P. Magiſtri Bonauenturæ Colonnenſis de Florentia Ord. Min. Conu.

Veriſſimum quidem eſt, nec reſtat vllus dubitandi locus circa materiam in Duello pugnantium, ac abſolutionis, quæ ipſis in foro conſcientiæ, nec nō in ſacramentali confeſſione largitur, paſſim, & vbiq; oriri poſſe abuſus intollerabiles ob imperitiam prohibitionum, & cenſurarum, quas ſacro ſanctum Conc. Trid. & Summi Pontifices contra pugnantes in duello comminantur; quarè conſtitui breuiter, ac perſtrictè bullam Clem. VIII. fel. recordat. ad ipſum duellum ſpectantem explicare, proponendo, ac diluendo dubia magis neceſſaria, quæq; circa prædictam materiā ſæpius euenire poſſunt; vt non modo prudens confeſſarius valeat, ac ſciat anceps vitare iudicium, (ſi tamen in Sacramēto Pœnitentiæ id contingeret) verum etiam vt qui ſalutem propriam æſtimat, quàm diligentiſſimè caueat, ne iam prædictæ bullæ aduerſetur, excōmunicationemq; latę ſententię Summo Pontifici reſeruatam incurrat, vt autem diſtinctè procedatur, tractatum hunc in plura capita diuidam, & antè quam aggrediar, pro earum intelligentia, quæ ſunt dicenda, ſummarium prædictę bullæ prius ponam.

BULLÆ CLEMENTIS VIII. contra pugnantes in Duello publicè, vel priuatim hæc ſumma eſt.

PRimò, renouat Bullam à Pio IV. de hac re editam, contra quoſcunque Principes, ac Domicellos, ac alios omnes permittentes in ſuis dominiis, & terris duellum fieri, aut ſingularia certamina, aut diffidationes facientes, ac ad id inuitantes, procurantes, auxilium, conſilium, vel fauorem dantes illiſque aſtantes, & intereſſentes, nec non chartas deſuper ſubſcribentes, aut publicantes, ſeu de illis ſe intromittentes: Qui omnes, & ſinguli Imperatore, ac Regibus inferiores (ſi laici fuerint) maioris excomm. & (ſi eccleſiaſtici fuerint) vltra eam, etiam priuationis omnium dignitatum, beneficiorum, & officiorum Eccleſiaſticorum inhabilitatiſq; ad illa, & alia in poſterum obtinenda, pœnaſq; eo ipſo incurrunt, à quibus non niſi à Romano Pontifice abſolui poſſunt.

Secundò, innouat decretum Concil. Triden. ſeſſ. 25. de refor. cap. 19. vbi Concilium ſtatuit, vt Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocunq; alio nomine Dominii temporalis, qui locum ad Monomachiam in terris ſuis inter Chriſtianos conceſſerint, eo ipſo excommunicati ſint, ac iuriſdictione, & dominio Ciuitatis, Caſtri, aut loci, in quo, vel apud quem Duellum fieri permiſerint; quod ab Eccleſia obtinent, priuentur de facto, & ſi feudalia ſint directis Dominis ſtatim acqui-

quirantur. Qui vero pugnam commiſerint, & qui corum Patrini vocantur, excõmunicationis, ac omnium bonorum ſuorum proſcriptionis, ac perpetuę infamiæ pœnam incurrunt, & vt Homicidæ iuxta ſacros Canones puniri debent. Et ſi in ipſo conflictu deceſſerint, perpetuò careant Eccleſiaſtica ſepultura. Illi etiam qui conſilium in cauſſa duelli tam in iure, quam facto dederint, aut alia quacunq; ratione ad id quemquam euaſerint, nec non ſpectantes excomm. incurrunt.

Tertiò, confirmat Bullam Greg. XIII. quę incip. *Ad tollendum*, editam anno incarnationis Dominicæ 1582. Vbi præfatus Pontifex dictas Concil. Trident. pœnas extendit aduerſus omnes illos, qui non publicè, ſed priuatim ex condicto, ſtatuto tempore, & in loco conuento Monomachiam commiſerint, etiam ſi nulli Patrini, ſociiue ad id vocati fuerint, nec loci ſecuritas habita, nullæue prouocatoriæ litteræ, aut denunciationis chartulę præceſſerint; quas etiam pœnas extendit contra locorum Dominos, ſi certamen excondicto permiſerint, aut (quantum in ſe fuerit) non prohibuerint: nec non contra eos omnes, qui duellum huiuſmodi fieri mandauerint, inſtigauerint, auxilium, conſilium, vel fauorem dederint, aut ex compoſito ſpectatores, vel ſocios ſeſe quouis modo præbuerint, etiam ſi illi, qui ad locum deſtinatum pugnaturi acceſſerunt, impediri pugnã non commiſerint, ſi per ipſos non ſteterit quo minus illa committatur.

Quartò, confirmat omnes tres prædictas, hoc eſt Pii IV. Conc. Trid. & Gregorii XIII. conſtitutio-

394

nes, ac decretum locum habere vult vbiq; gentium, & terrarum inter quaſcunque perſonas, etiam armatas, & in caſtris, ſeu propugnaculis militantes, etiam in terris, & dominiis hæreticorum.

Quintò explicat in particulari perſonas, quæ prędictas pœnas incurrant, & ſunt iſtæ.

Primò quilibet miles, qui in bello publico, & forſam iuſto indicto contra alterum in aduerſariorum exercitu militantem, ſiue alias hoſtium caſtris, præſidiis, aut terris degentem, priuatas inimicitias, & ſimultates publicæ cauſæ intermiſcendo, etiam Ducum permiſſu ex condicto ad ſingulare certamen deſcendit, aut illum prouocat.

Secundò, qui pactiones ineunt de dirimendo certamine cum primum alteruter vulneratus fuerit, ſeu ſanguinem effuderit, aut certus ictuum numerus vtrinq; illatus fuerit, vel ſi conueniant, vt non ſinguli cum ſingulis, ſed bini, terni, aut plures hinc inde pugnent.

Tertiò locum tenentes, militum Duces, & Capitanei in caſtris, vel extra ea, in alieno, vel hoſtili ſolo, qui cum militibus exercitus aduerſariorum Monomachiam in quocunq; caſu per præſentem, vel prædictas conſtitutiones prohibito permittunt, vel quãtum in ipſis eſt non prohibent, aut poſt admiſſum crimen, veniam, & impunitatem concedunt.

Quartò, omnes, & ſinguli, qui ſuo, vel alieno nomine ſcripta manifeſta, ſeu fides vulgo appellata in hac Bulla prohibita, aut libellos, æpiſtolas earumue exempla dictant, componunt, ſcribunt, mittunt, deferunt, diuulgant, affigunt, exemplant, typis imprimunt,

munt,ſubſcribunt,intimant,vel etiam verbo denunciant,ſeu atteſtantur.

Scripta verò, quæ in hac bulla prohibentur ſunt omnia illa ſcripta manifeſta, ſeu fides vulgo appellata, quæ vel expreſſe prouocant ad huiuſmodi certamen, vel ſunt quaſi quædam præparatoria ad chartulas,ſeu libellos prouocatorios & ad duellum, & illorum veluti radices,aut ſemina vt plurimam laceſſendi aliquem ad pugnam, & ſuſcitandæ ſimultatis, atque inimicitiæ materiam,& occaſionem præbent, dum in illis per modum epiſtolæ,libelli, aut publicę atteſtationis,& intimationis,ſiue per hautentica documēta,ſiue per vnius,pluriumue chirographi, ſubſcriptiones, aut relationes ſub prætextu proprii, vel alieni honoris, & famæ more militari, atq; (vt vulgo dicitur Cauallereſco) tuendi, ſeu lędendi,aut ad illatæ propulſatæue contumeliæ , aut iniuriæ probationem, ſeu tollendam illius ſuſpicionem rei alicuius geſtæ ad id pertinentis, vel verborum, aut reſponſionum ſeries, & ordo narratur, vel ex ſimili abuſu hac de cauſſa aliquid tale adeo firmiter aſſeritur,aut negatur,vt qui contradixerit, is ſiue nominatim,ſiue in genere mendacii arguatur, aut mentiri dicatur, aut ad hunc effectum ex militari etiam conſuetudine quæritur,declaratur,aut reſpondetur, qua mente,aut quo ſenſu quippiam eiuſmodi, quod ad ſuperius expreſſa ſpectet, geſtum dictuue ſit; vel offert ſe quiſpiam contra certam, vel incertam perſonam, vel generatim contra quemcunque ad probandam armis, & verificandum, etiam inito certamine, aliquid ita eſſe, aut fuiſſe, vel non fuiſſe, imo

verò

verò non ſolum prohibentur huiuſmodi ſcripta, ad effectum, de quo ſuperius dictum eſt, ſed etiam quęcunque denunciationes, declarationes, & teſtificationes talium rerum ſupra dicto quoquo modo cõcernentium, & ob huiuſmodi cauſas in locis publicis, vel priuatis, vbi hominum multitudo conuenire ſolet, etiam ſi ſcripto factæ fuerint.

Quintò, qui aliis ad ſingulare certamen publicè, vel occultè ineundum, vel ad prouocandum aliquẽ ad pugnam ſiue ad huius generis ſcripta, quæ manifeſta, quæque chartulæ prouocatoriæ appellantur, ſcribenda, dictanda, mittenda, deferenda, diuulganda, auxilium, conſilium, operam, vel fauorem præſtiterint, ſiue id ſuaſerint, aut mandauerint; quiue in permiſſis, vel eorum aliquo ſe quomodolibet, intermiſcuerint, etiam ſi neq; pugna aliqua, nec certamen, aut effectus, nec acceſſus, aut actus ad pugnam proximus, neque expræſſa, & aperta prouocatio ſubſecuta fuerit, neq; ſcriptiones prædictæ, quæ manifeſta dicuntur in publicum prodierint, aut cuiquam intimatæ extiterint ſi per eos non ſteterit quo minus publicatio, aut denunciatio fieret.

Sextò, denique omnes, & quicunque publicè, vel priuatim, palàm vel occultè, in quibuſcunque locis, modis, & formis, ac caſibus, in hac bulla, & aliis prædictis conſtitutionibus, videlicet, Pii IV. & Gregorii XIII. & Concilii Trident. decretis, compræhenſis, ſingulare certamen (quod duellum vulgo dicitur) ex compoſito ineuntes, nec non id ſcelus ſuadentes, aut prouocantes, equos, arma, & commeatus præbentes, aut comitantes, vel circa chartulas,

tulas, ſeu libellos, litteras, nuncios, aut quæcunque alia ſcripta huius modi quomodolibet peccantes, huiuſque delicti ſocii de induſtria ſpectatores, patrini, fautores, defenſores, quocunque Eccleſiaſtica, vel mundana præfulgeant dignitate.

Hi omnes, ſi ſingulares perſonæ ſint cuiuslibet communitatis, vniuerſitatis, collegii, aut Reipub. maiorem excommunicationem ipſo facto incurrunt; & ſi in ipſo conflictu obierint, ſepultura Eccleſiaſtica perpetuò priuantur; Ciuitates vero, Terræ, Oppida, vel Caſtra, & loca in quorum territoriis id factum ſcientibus, & tacitè, vel expreſſe permittentibus, aut tollerantibus Dominis, aut Magiſtratibus, vel Senatu, aut populo admiſſum fuerit, interdicto Eccleſiaſtico ſupponuntur: cuius interdicti relaxationem, aut excommunicationis abſolutionem, ab alio quam à Summo Pontifice, pro tempore exiſtente pœnitentia, & ſatisfactione congruè peracta, niſi in mortis articulo conſtituti nequeant obtinere; etiam prætextu quarum vis facultatum, & indultorum quibuſuis perſonis tam Eccleſiaſticis cuiuſcunque ordinis, aut Militiæ, ſtatus, gradus, aut conditionis exiſtentibus, quam laicis, etiam Imperiali, Regali, vel alia præminentia inſignitis, per Sedem Apoſtolicam in genere, vel in ſpecie conceſſorum: Quæ omnia quoad præmiſſa nemini ſuffragari poſſunt. Pœnis aliis tam ſpiritualibus, quam temporalibus contra eos inflictis nihilominus in ſuo robore permanſuris. Quæ Bulla tametſi nonnullis paulo durior, & rigidior viſa ſit, maxime cum non ſolum de Duello publico, ſed etiã

de occulto tractet, ſi tamen criminis huius grauitatem, & deteſtabilem hunc Duelli vſum, fabricante Diabolo, introductum, & inuentum, vt ex cruenta corporum morte animarum ſimul interitum, & perniciem lucretur, conſideremus; ſimulque etiam diligenter cogitemus, Duellum priuatum non minus cruentum, & animæ, & corpori noxium eſſe, quam quod publicè perpetratur, ſapienter admodum ſtatutum eſſe prudens quiſq; fatebitur, vt homines qui nimia indulgentia, & ſpe impunitatis, ac veniæ facilitate hactenus ad huiuſmodi exitialia quædam, ac enormia delicta perpetranda procliuiores extiterunt, ea ſublata & præcluſa ab his abſtineant, & caueant in futurum dum ſe ab alio quā à Romano Pontifice pro tempore exiſtente (excepto mortis articulo) abſolui non poſſe intelligant. Neque enim tam rigida hæc conſtitutio, vt quidam arbitrantur, cum vt conſtat, non niſi perſonas, & actiones in ea expræſſas compræhendat, quæ ex condicto, & ad effectum committendi, aut procurandi Duellum publicè, vel priuatum, aut alia in Bulla contenta fiunt, & exercentur.

DE DIFFINITIONE DVELLI, & eius origine.

Cap. I.

DVellum eſt pugna inter duos ex condicto, gratia probandæ veritatis, vel expurgandi criminis; nimirum vt is qui vicerit, probaſſe veritatem credatur, ac ſi per teſtes, aut rationes, & argumenta legitima illam probaſset, & is qui victus eſt defeciſse à probatione cenſeatur. Item qui vicerit à ſuſpicione criminis, quod illi imponitur perpetraſse credatur. *Silu. Ang. Arm. Tabienſ. Verbo Duellum, & Ioannes de Lignano in tract. quem edidit de Duello.*

Quod autem ad eius ſpectat originem, ex Azzor. notandum eſt. Duellum à Gentilibus habuiſse ortum, qui gratia ſpectaculi publici inſtituerunt Duella, in quibus homines ſe ſe gladiis, & armis, ſpectante populo interimebant. Poſtea verò Duella ad probationem veritatis Longobardi in Italiam introduxere, qui (vt ait Ioannes de Lignano vbi ſupra) leges ſanxerunt; quibus Duella admittebantur ad purgationem multorum criminum, nimirum, vt is, qui in certo criminis genere ſuſpectus eſset, duello ſe purgaret ab ea criminis ſuſpicione.

391

De Duelli prohibitione à Summis Pont. nec non à Trid. Conc. fulminata.

Cap. II.

DVelli peſtem execrabilem tãquam alienæ perditionis originem, Olim Pius IV. prohibuit in Bulla quadam edita Anno ſalutis MD. LX. Idib. Nouemb. Pontificatus eiuſdem anno primo, eiuſq; prohibitionem innouauit Tridentina Sinodus, *Seſſ. 25. de refor. cap. 19.* Verum vtraq; interdictio extenditur tantummodo ad Duella publica, & effectum conſequuta; vt elicitur ex illis verbis eiuſdem Conc. ideſt *Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocunq; alio nomine, Domini temporales, qui locum ad Monomachiam in terris ſuis inter Chriſtianos conceſſerint, &c.* & ex iis, *qui verò pugnam commiſerint, & qui eorum Patrini vocantur, &c.* in quibus verbis nulla fit mentio de Duello priuato, aut de ſola prouocatione, ſed de publico, & conſummato.

Gregorius præterea XIII. in Bulla, quæ incipit. *Ad tollendum, &c.* edita Anno 1582. prohibet non tantum Duella publica ſub eadem pœna, ſed etiam priuata quæ ſcilicet priuatim fiunt, ſine Patrino, vel aliorum ſpectatorum præſentia.

Clemens VIII. tandem, vt deteſtabilem Duellorum abuſum euelleret Anno 1592. Decimo ſexto Cal. Sept. Bullam edidit contra pugnantes in duello publicè, vel priuatè; quæ incipit. *Illius vices, &c.* per quam hic Pont. innouat non modo Bullam Pii

IV. De-

IV. Decretum Conc. Triden. & confirmat Bullam Greg. XIII. ſed præterea ſub pœna excomm. latæ ſententiæ, eò ipſo incurrenda Summo Pont. reſeruatæ, præter quam in mortis articulo, prohibet omnia Duella publica, vel priuata, etiam non ſequuto effectu, dummodo præcedat affectus deliberatus ex compoſito, & ex condicto, ideſt data opera, qualia ſunt verba laceſſentia, & irritantia ad Duellum, prouocatio, eiuſdem acceptatio cum periculo mortis, aut vulneris, aut membrorum mutilationis; quod infra latius explicabimus.

De iis, qui in Bulla Clem. compræhenduntur.

Cap. III.

PRo faciliori huius materiæ intelligentia eſt obſeruandum, quoſnam Bulla Clem. complectatur, ne quis ignorantiæ clypeo ſe excuſare, tueriq; poſſit. Compræhenduntur itaq; Imperator, Reges, Duces, Princeps, Marchiones, Comites, Magiſtratus, Præſidentes, Locumtenentes, & quicunq; in ſuis Ditionibus, Ciuitatibus; Oppidis, aliiſque locis ſuæ ditioni ſubiectis, qui Duella publica, vel priuata fieri permittunt.

Præterea laceſſentes, irritantes, prouocantes ad Duellum, conſulentes, inſtigantes, mandantes, fauẽtes deducentes, Patrini, Spectatores, Miniſtri, per quos committitur Duellum, & omnes cuiuſcunque

398

gradus, ſexus, ac conditionis, qui quocunq; modo facinoris ſocii extiterint, vel illi quomodolibet ſe immiſcuerint.

Omnes inſuper Militiæ Præfecti, qui in ſuis Caſtris Duellum permiſerint comprehenduntur, & incidunt in pœnas, licet Duellum, vel prouocatio minimè ſubſequætur, hæc enim eſt voluntas Pont. in iis verbis. *Et etiam ſi neq; pugna, aut actus ad pugnam proximus ſubſequtus ſit.*

Non excipiuntur deducentes, qui Duellum ſunt commiſſuri, & iis arma, equos, vel quocunque alio modo auxilium dantes, & notantur in illis verbis. *Quinimo excommunicantur, & puniuntur auxilium & opem præſtantes ad Duellum in quibuſcunque modis, & formis.*

Nec minus excluditur qui prouocatorium libellum publicè affixerit, vt aliquem laceſſeret, & intimaret, ſe cum illo pugnare velle, licet poſtea aliquo caſu non ſequatur effectus. Dixi publicè affixerit nam per quem ſtetit, quominus affigeretur, & in publicum prodiret, non incidit in pœnas per Bullam inflictas. Ratio elicitur ex Alex. Peregrino, tractatu de Duello pag. 53. vt enim incurratur pœna ob aliquod crimen impoſita, requiritur huiuſmodi crimen actu conſummatum eſse. Et ſicut qui prouocat ad Duellum verbis, eo ipſo incidit in Bullam, ex eo quia iam perfectum eſt opus, ita niſi libellus (licet ſcriptus) publicè affigatur, aut publicetur, nulla ratione opus conſummatum eſse affirmari poteſt; & per conſequens in pœnas cōſtitutionis incidiſse.

Licet autem dixerim ſuperius comprehendi in

Bulla ſpectatores; non tamen omnes ad Duellum ſpectãdum concurrentes, excommunicationis vinculum incurrunt; ſed tantum qui ſunt ſpectatores de induſtria, exempli gratia, qui ſpectant tanquam facti teſtes exitus, vel ex compoſito, aut data opera, vt ex eorum præſentia duellum committentes, vires ad pugnandum ſumant. Nam qui caſu, nec ex induſtria ſuperueniunt, non incidunt in pœnas; licet aliquando mortaliter peccent, vt ſunt qui adſunt cum oblectatione, vel qui prælium dirimere poſſunt, & illi malo mederi, nec dirimunt, nec medentur, vt docet *Silu. verbo ludus* §. 8.

De Verbis prouocatorijs, ac de conditionibus neceßarijs ad Duellum.

Cap. IV.

PRouocant ad Duellum quæcunque verba, quis contra alium profert cum illius contemptu, irriſione, vel iniuria, ex induſtria, & cum deliberato animo pugnandi, totieſq; eo ipſo incidit in pœnas, contra pugnantes in Duello inflictas, quoties eo animo huiuſmodi actiones committit, licet non ſequatur effectus. Idem procedit in eo, qui ſponte prouocationem accipit ex condicto, vel ex compoſito, hoc eſt, temporis interuallo, & animi deliberatione; nec non conſtitutionis pœnas, quotieſcunque hanc ſuam voluntatem confirmat incurrit; etiam ſi non ſequatur pugna, vel actus ad pugnam. Niſi ve-

rò ſpõtè prouocationem acceperit,ſed coactus pro ſui defenſione arma ſuſcepit, pugnamq; commiſit, non erit Duellum, ſed ſimplex defenſio vt inferius patebit.

Conditiones verò,quæ neceſſariæ ſunt, vt pugna aliqua duellum propriè dicatur, ſunt quatuor. Prima vt ſit pugna priuata, & ſic excluduntur bella publica,& vniuerſalia,quę interdum inter populos diuerſæ nationis ſequuntur,vt inter Hiſpanos,& Gallos,Catholicos,& infideles,& ſimilia. Secunda, vt pugna ex vtraq; parte ſit ſponte ſuſcepta, per quam conditionem propriæ vitæ defenſio excipitur. Tertia,vt fiat data opera,temporis interuallo, deliberatoq; animo pugnandi; alias enim rixa,& non Duellum eſſet. Quarta tandem, vt armis fiat, ad mortemque tendat, vel ſanguinis effuſionem, aut membrorum mutilationem. Quibus conditionibus deficientibus non eſſet Duellum,tamen ad incurrendã pœnam dictæ Bullæ, ſufficit animo deliberato prouocare, vel prouocationem accipere, etiam ſi nulla temporis, armorum, vel loci mentio fiat, cum hæc implicitè comprehendantur.

Quando Duellum ſit licitum, nec nè.

Cap. V.

AD huiuſmodi difficultatis declarationem notandum eſt, Duellum duppliciter vſurpari poſſe, primò modo generaliter pro quocunq; certami-

tamine armorum inter duos, etiam licito, & iuſto, quod legibus non eſt prohibitum. Secundò modo ſpecialiter pro pugna armorum inter duos ex condicto, ad probationem veritatis, vel criminis purgationem & hoc modo ſumptum, eſt prohibitum legibus, & canonibus ſacris, & appellatur in Iure Duellum, vel Monomachia, à Monos quod eſt vnũ, & Machia quod eſt pugna, hoc eſt vnius cum vno pugna ex condicto, his ſic ſtantibus quæruntur duo.

Primò an Duellum ſecundo modo captum nimirum ad probationem veritatis, vel criminis purgationem ſit licitum ex parte accipientis illud, quoniam ex parte prouocantis omnes ferè auctores cõueniunt eſſe illicitum, præſertim cum is, qui offert, aut prouocat eſt falſi criminis delator, vel calumniator; ratio dubitandi eſt, quoniam videtur eſſe licitum, ſpem in armis arte, & dexteritate pugnandi ponere. Reſpondeo eſſe illicitum & prohibitum, non ſolum Iure canonico, verum etiam ciuili, Diuino, ac naturali, vt recte probant Silu. Tabien. Ang. & communiter omnes doctores. Adſunt etiam Sũmorum Pontif. conſtitutiones, cum ſacro Concil. Trid. nam cauſſa probandæ veritatis, vel purgandi criminis Duellum committere, eſt tentare Deum, cum ſit quoddam ſortis diuinatoriæ genus, innocentis vitam aliquando morti, aut Mortis periculo exponere, nam contingit aliquando, vt innocens in duello victus ſuccumbat, & occidatur, aut mutiletur membro.

Dices non videtur rem duello committere, eſſe Deum tentare, quia quiſq; ſpem poteſt probabiliter

pone-

ponere in armis. Reſpondeo ſi non eſt Deum tentare, ſaltem eſt vitam innocentis periculo Mortis exponere, ſine iuſta cauſſa.

Secundò, quæritur, an Duellum ſolum quod eſt ad probationem veritatis, vel criminis purgationẽ ſit illicitum, an verò ſit etiam illicitum duellum ob alium finem. Reſpondeo, etiam aliquando eſſe illicitum ob alios fines. Primò quando Duellum fit odii, vel inimicitię gratia; Secundò, quando fit oſtẽtationis virium, & gloriæ cupiditate, vt victor in Duello laudem ſibi comparet. Tertiò, quando fit vindictæ cauſſa, nimirum quando verbis contumelioſis quis affectus, aut aliquali iniuria laceſſitus, Duello ſe ſe vindicat. Quartò, quando fit vt ſpectaculum, ad ſpectantium animos oblectãdos, vti apud Gentiles fieri ſolebat in gladiatorum ſpectaculis, Omnia iſta Duella ſunt illicita.

De pœnis contra Duellum.

Cap. VI.

QVatuor in præſenti capite ſunt aduertenda. Primo, in Duello reperiri ſolere quinq; genera perſonarum; nempe, Principes, Imperatores, Reges, vel alios duellum concedentes, in terris ſibi ſubiectis, Pugnantes, Patrinos eorum, eos qui conſulunt, vel aliquo modo fauent, & ſpectatores, qui ad ſpectaculum concurrunt.

Secundò, contra Duellum, huiuſmodi pœnas inflictas

flictas eſſe, ſcilicet omnes prædictæ perſonæ ſunt eo ipſo excommunicatæ. Domini in terris ſuis facultatem concedentes ad Duellum, priuantur Iuriſdictione terræ illius, in qua concedunt huiuſmodi facultatem, ſi eam ab Eccleſia habent; Quod ſi eſt feudum, priuantur eo, ita vt redeat feudum ad Domi num directum; Ciuitates verò, terræ, oppida, caſtra, vel loca in quorum territoriis id facinus admiſſum fuerit, ſcientibus Dominis aut Magiſtratibus, vel Senatu, aut populo & tacitè, vel expreſsè permittentibus, aut tollerantibus; interdicto Eccleſiaſtico ſupponuntur. Pugnantes, & eorum Patrini notantur infamia, incurrunt priuationem omnium bonorum, & pœnam homicidii; hoc eſt, ſic debent puniri, ac ſi eſſent homicidæ, licet non ſit ſequuta mors. Si verò Clerici Seculares, vel regulares fuerint cuiuſcunque ordinis, & inſtituti; vltra prædictas pœnas, priuantur dignitatibus officiis, & Beneficiis, & in poſterum redduntur inhabiles ad illa, & alia obtinenda, & morientes in duello priuantur Eccleſiaſtica ſepultura.

Tertiò, ex prædictis pœnis excõmunicationem incurri ipſo facto, ceteras verò pœnas incurri debere per ſententiam Iudicis.

Quartò tandem prædictas pœnas in his caſibus habere locum, in quibus Duellum eſt illicitum. Item prædictas pœnas incurrere Dominos facultatẽ concedentes ad Duellum, non autem quando Domini ſolum impunè permittunt, propter peccata maiora, aut plura damna euitanda. *Sanch. de præcep. decal. tom. 1. lib. 2. cap. 39.*

Quando liceat acceptare Duellum.

Cap. VII.

DAntur autẽ ſex cauſſæ, vt optimè notat Sãchez, propter quas Duellum committi ſolet; Prima eſt veritatis indagatio, quando ſcilicet ex pugnantis victoria volumus, vt alicuius rei veritas innoteſcat. Secunda, litis alicuius ciuilis vel criminalis terminatio. Tertia, ſui ipſius defenſio. Quarta, defenſio propriæ exiſtimationis. Quinta, in publico armorum certamine virium, ac virtutis oſtentatio. Vltima demum, Patriæ vindicta, vel defenſio. Quarum aliæ iuſtam cauſſam prebent acceptandi Duelli, aliæ verò minime, vt videndum eſt.

PRIMA CAVSSA DVELLI.

DVellum, quod committitur ad indagandã veritatem, illicitum quidem eſt, quia in propria ratione repugnantiam cum recta ratione includit; interdum enim ex virium defectu, vel imbecillitate occiditur innocẽs, mactatur, & perditur; at dubitari tamen poteſt; An Franciſcus falsò accuſatus furti, & iniuſtè damnatus à Iudice, vt vel pugnet in Duello ad ſui ipſius innocen-

centiam oſtendendam, vel capite plectatur; debeat acceptare duellum nec nè.

Quod dubium alii negatiuè reſoluunt, vt Hoſt. Roſell. Henric. *quodlibet.lib.5. q.32.* Abulenſ. *in primo Regum c.17.queſt.vlt.* D. Antonin. *3 p. tit.4. & vlt.* Tabien. *verbo Duellum q. 3.* & Arm. *num. 5.* & ratio eſt, quia Duellum cauſſa eruendę veritatis eſt intrinſecè malum,& inſuper Franciſco non infert iniuriã, qui cum illo pugnaturus eſt, ſed Iudex, & ideo non poteſt acceptare Duellũ,ne aduerſarius ſubeat mortis diſcrimen. Alii vero reſoluunt affirmatiuè, vt Ang. *Verbo Duellum 2.* Tolet.*lib.5.cap.6.n.32.* Nauar. *lib.2.de reſtit.in 2.p.dub.13.* in noua edit. *num.295.* & Caiet. *2,2.q.95. art 8.* qui refert quoſdam hanc opinionem ſectantes à quà nec ipſe, nec Valent. recedit. *2.2. q.17. diſp. 3. puncto p col. 3. verſ. ponunt etiam.* hanc reddens rationẽ; quod licet non inferat Franciſco iniuriam,qui cum illo pugnaturus eſt ſed Iudex, videtur tamen in tali caſu Ius quoddam habere, & quodammodo cogi contra iniuriam à Iudice illatam, per anceps Duelli diſcrimen mortem effugere, etiam cum aduerſarii periculo; eoque magis, quod propriam vitam alienæ proponere tenetur,cũ illo vtatur inquus Iudex tanquam inſtrumento ad exequendam in parte iniuſtam ſententiam. Quæ poſtrema opinio probabilior mihi videtur, & cum Sanchez affirmo, Franciſcum criminis expertem acceptare poſſe Duellum, animo tantum ſe defendendi & certæ mortis euitandæ, & ſic potius defenſio,quã Duellum dicetur, nõ autem eo animo,quo illi offertur à Iudice, vel oſtendendæ ſuæ innocentiæ; quia

Duellum cauſſa eruendæ veritatis, vel expurgandi criminis eſt intrinſecè malum.

Secunda cauſſa Duelli.

SEcunda cauſſa Duelli eſt litis alicuius vel ciuilis, vel criminalis terminatio; vt exēpli gratia, Franciſcus, & Martinus litem habentes, propter differentias vertentes nequeunt componi, duellū ſuſcipiunt hac conditione, vt victor fauorabilem ſententiam intelligatur habere, modò quæritur, num liceat huiuſmodi duellum acceptare.

Reſpondeo non poſſe acceptari niſi in mortis periculo, vel mutilationis, aut peculiaris amiſſionis rerum, vel honoris; ideſt quando conſtat actorem dolosè, ac iniuſtè procedere contra innocētem, ex quo illi ſententia Iudicis mors, vel mutilatio, vel maxima rerum, vel dignitatis amiſſio contingat, tunc enim nō acciperet Duellum vt Duellum, ſed vt exiſtimationis, & vitæ defenſionem. Sic Bann. *2.2.q.64.art. 7.dub.4.* Manuel. Sà *p.tom.ſumma in 2.edit. cap 3. nu. 1.* Nauar. *lib.2.de reſt. cap.3.in 2 p. dub.13.in noua edit. num. 289. & 290.* Immò Bann. affirmat in tali caſu innocentem non modo poſſe acceptare duellum, ob iam dictam rationem, verum etiam quoquo modo (ſi tuto poſſit) actorem occidere, per calumniā ipſius oppreſſionem quærentem; nam hæc occiſio eſt vera defenſio; & Nauar. loco citato *num.290.* ait, innocentem poſſe duellum renuere, ſi clam occidēdo actorem, rei familiaris, vitæ, vel honoris ammiſſionem poſſit effugere.

Si

Si verò vt notat Azzor.& ferè omnes doctores lis non importaret prædictarum rerum ammiſſionem, videtur nõ poſſe acceptare Duellum, nam exponeretur innocentis vita periculo mortis,cum facilè vinci,& occidi poſſit; oppoſitum tamen eſt probabile, vt clarius quæſtione ſexta videndum erit.

Tertia cauſſa Duelli.

TErtia cauſſa ſolet eſſe defenſio vitæ proprię; vt Domitius Titium prouocat,dicitq; ſe cum illo pugnare velle, acceptet Duellũ vel ne, quæritur an Titius tuta conſcientia duellum ſuſcipere debeat. Circa quod affirmatiuè reſpondeo, dummodo alio quocunq; modo mortem ipſam euitare nequaquã poſſit,nam tunc mera, puraque defenſio eſſet, non Duellum. Sic Doctores communiter omnes.

Quarta cauſſa Duelli.

HOnoris etiam defenſio plerunq; eſt in cauſſa,vt committatur duellum, prouocatur enim ad Duellum Miles, & niſi acceptet, aliqua honoris illius diminutio fieri videtur, quæritur an poſſit acceptare,ne ignauus apud homines habeatur.

Nonnulli partem affirmatiuam aſſerunt,vt refert Bann. *2.2. q.64. art. 7. dub. 3.* quia vim vi repellere licet. At communis opinio eſt in contrarium cum Azzor. quia alia ratio eſt de occidente inuaſorẽ pro tuendo honore ſuo; & alia de prouocato ad Duellum, qui ex improuiſo armis ſe petitum videt, pro-

cul

cul dubio ad vitæ, vel honoris defenſionem inimicũ occidere poteſt; quia vim vi repellere licet. Sed qui tantum prouocatur ad Duellum, nullo pacto debet accipere, cum ſine honoris detrimento reſpondere poſſit, ſe Chriſti Militem, nec poſſe, nec debere, nè Clementinæ Bullæ aduerſetur; at ſi vlla afficiatur iniuria ad ſui defenſionem eſſe paratum.

Nec aliquis obijciat non parum dedecoris Militem prouocationem renuentem ſubire, nam qui animæ theſaurum, & conſcientiæ puritatem æſtimat, Poli legem, non fori ſeruare debet, igitur qui laceſſitus, vel prouocatus fuerit, non diſſimili reſponſione periculo ſe eximet, & honori etiam conſulet. Sic Ban. *2.2.q.40. art. p.* & Valent. *2.2. diſp.3 q.17. puncto p. in 2. cauſſa.*

Quinta cauſſa Duelli.

QVandòque etiam virtutis, vel fortitudinis oſtẽtatio in publico armòrum certamine, cauſſam præbet. In Bello quodam quatuor Milites vnius exercitus totidem alios contrarię partis ad duellum prouocant; quæritur an huiuſmodi duellum ſit permiſſum, & acceptari debeat. Negant Caiet. *in ſumm. Verbo Duellũ, & 2.2.q.95. art.8.* & Armil. *Verbo Duellum.* Concedit Nauarr. *in ſumm. cap. 13. num. 27.* Ego verò arbitror; ſi tantummodo ad virium, & virtutis oſtentationem committatur, acceptàri nequaquam poſſe, cum enim finis ſit inanis, Duellum erit indignum; quia nec bellum tali cauſſa indictum, ſumi debet, ergo nec Duellũ, & ſic intellige Caietanum.

Si verò fiat nè hoſtium exercitus fortior, vel audacior euadat, vel prouocatorum animo cadat, deſperetq; futuram victoriam, vtique acceptari poteſt, vt ait Nauarr. Idem enim eſt ac ſi dicerem, quod licet huiuſmodi certamina ab hoſtibus oblata acceptare, non principaliter ob vanam fortitudinis oſtentationem, ſed gratia conſeruandæ bonæ exiſtimationis exercitus apud hoſtes, quia ſi laceſſiti pręlium renuerent, hoſtes ipſi audaciores fierent, id ignauiæ, & pauori aſcribentes.

Sexta & vltima cauſſa Duelli.

SExta denique cauſſa eſt propter quam ad Duellum ineundum deſcendi poteſt, quando publica auctoritate laceſſitur ad pugnam, vt iniuria propriæ patriæ illata, ferro redimatur, vel vindicetur armis, vel vt ipſamet patria integra, & incolumis præſeruetur, exempli gratia, ſi duo exercitus prædicta cauſſa ſimul venirent ad Arma, quatuor vero milites ex altera parte totidem aduerſæ aciei ad Duellum inuitarent, quæritur an huiuſmodi Duellum licitum eſſet, nec nè.

Reſpondeo, Duellum iſtud regulariter eſſe illicitum, etiam ſi bellum ſit licitum, aliquandò tamen fas erit, bellum terminari Duello, dummodo vtrique exercitus hoc inter ſe feriant, ac ſtatuãt fœdus, ideſt vt dicat ille cui ſit commiſſum, lis inter nos exorta, congreſſu tantummodo quatuor militum vniuſcuiuſq; partis decidatur, Victoria verò ſit illius exercitus, cuius milites victores erunt, tunc huiuſmodi

Duel-

Duellum erit licitum, eòque magis ſi ex exercitibus alter fortior erit altero, cumque ſciat debilior ille viribus in communi pugna facile ſe victū, atque proſtratum iri, at contra in Duello certans trahitur in ſpem victoriæ, quia in hoc caſu, ruinam propè, ac ſecurò imminentem in ſpem victoriæ transferre, prudentia ſumma erit, quapropter non Duelli ſolū iam oblati conditiones acceptare, verum & offerre licebit, quia id non eſt aduerſarios iniuſtè pugnaturos inducere ad malum, ſed eos à maiori malo auertere, quale eſt bellū commune. ſic *Armilla in Verbo Duellum num. p.* Emanuel sà *num. p. Nauar. ſumma latina & hyſpana cap. ij. num. 39. & cap. 15. nu. 9.* Caiet. & alij quam plures.

Quam ſit heroicum non acceptare Duellum, & quomodo prouocantibus ſit reſpondendum. Cap. VIII.

PEſſimum iniurias vlciſcendi vitium, in humanis cordibus quaſi venenum, ita diffuſum eſt, vt ab hominibus non ęſtimetur inſignis, ac honoratus miles, qui iniurias ſibi impoſitas ſinit impunitas abire, & prætextu æſtimandæ dignitatis ſuæ, armis vindicandas non curat, in Duellum cum inimico deſcendens; quod quidem à veritate longè diſſentit & profitenti Chriſtianam vitam, dignumq; militem indecorum eſt.

Quicquid de hoc dicat Poſſeuinus (non ille Societatis Ieſu) in ſuo honoris libro, ideſt, ſub colore

honoris

honoris recuperandi, militem hoſtem ad Duellum irritandum eſſe, aliàs etenim erit infamis, ſicut infamis eſt alter, qui non acceptat; Ego enim reſpondeo Duelli legem, Diaboli legem eſſe, atq; cõmentum, ſub cuius vexillo peruerſi, perfidiq; militant homines, immo heroicè ſe gerit Miles ille, qui laceſſitus Duellum recuſat, & adæquato reſponſo, honorem ſuum tuetur, quod facilè probari poteſt.

Si poſſeuinum interrogarem, qua de cauſſa teneatur Miles acceptare Duellũ, reſponderet, ob id præcipuè teneri, ne vilis videatur & iners, ego autem dico, Militẽ fore multo fortiorem recuſando, ſi enim maior eſt fortitudo animi quam corporis, & (vt dixit ſapiens) Vir patiens fortior eſt expugnatore vrbium, & maior virtus eſt ſe ipſum quam alium vincere, vt elicitur ex ſcriptura ſacra dicente, Dauid autem erat fortior ſe ipſo, quem titulum ſibi comparauit, non diſcerptis leonibus, non laniatis Vrſis, nõ occiſo Philiſteo, ſed quidem cum affectus iniurja à Rege Saul, & cum poſſet illum occidere, eidem ignouit, & à cęde illius manus abſtinuit; neceſſariò ſequitur, Militem tanto fortiorem, ac honoratiorem habitum iri, ſi prouocatus, ipſe ſibi imperabit ignoſcens, ac Duellum recuſans.

Nihil obſtat, quod dictitet Mundus, ideo à Milite non acceptari Duellum, quia timidus animo, & imbecillis ſit viribus, id enim verum eſſet, quãdo laceſſitus ab hoſte fugæ ſe ſe committeret, contra vero ſi reſpõdens dicat, quia Chriſtianam legem profiteor; Ideoq; Duelli pugnam acceptare recuſo, cum Bullę Clem. 8. repugnet. At quia maximi honorem meum

facio,ſcias me ad defenſionem meam eſſe paratum, quoties quilibet me lædat;atq; inuadat;& hac reſpō dendi regula,omnis miles honoris appetens,defendit ſatis exiſtimationem ſuam, quod quidem honorificè probatur à Fabio Albergato, Patritio Bononienſe in ſuo tractatu manuſcripto de modo priuatas inimicitias ad pacem reducendi,vbi probat, Duellum non decere Militem virtute decorum, & honore inſignem,quiſquis ille ſit, & vlciſci iniurias datá opera nunquam licere priuatę perſonę,ſed cōpetit Deo dicēti,mihi vindictam, & ego retribuam; & ſolum illis, qui publicam gerunt auctoritatem, idque contra eos, qui probabiliter ſunt peruerſi.

Scio equidem, Poſſeuinum in quinto honoris libro,pagina 255 aſſeruiſſe,Malum mēdacium, ideſt verbum mentiris,tolli alapa; cum illud animum ſolummodo lædat,alapa vero corpus vnà,& animum offendat; & ob id maior eſt iniuria; Alapa verberibus, (faciunt enim grauiorem ictum) verbera vulneribus,vulnera deniq; morte tolluntur,quaſi dicat Poſſeuinus,Militi læſo ob tutamen honoris,vlciſcendæ ſunt iniuriæ illis rationibus,ac modis paribus iniunctæ ſibi læſioni.Ego autem reſpondeo, Diuinum Ius longius ante ire humanæ legi; prohibet Deus ne nos ſi ab inimico percutimur in maxilla, ad vindictam efferamur,ſed iubet,nos alteram præbere percutienti,& reddere pro malo bonum;qui ergo ſalutem æſtimat, Deo, non mundo, vel Duelli legibus obedire debet, qua propter liber ille à Poſſeuino editus, à quo quam plurimi hominum ad duellandum incitati fuere, & conſequenter eorum animæ di-

diſcrimini æternæ damnationis expoſitæ, ab Eccleſia Romana prohibitus fuit, ideo ab hominibus ſapientia iudicioq; conſpicuis, Miles maiorem conſequetur honorem, reſpondens vt ſupra dictum eſt, quam Duellum accipiens, quia non id faciet timore perterritus, ſed vt Diuinæ legi, Summoq; Pontifici obediat. In hoc tantum congruit mea opinio cum Poſſeuini ſententia, Militem ſcilicet, qui ob acceptã iniuriam iacturam fecit honoris, ſumma ope niti decere, vt recuperet amiſſum, at modum recuperãdi eſſe Duellum, hoc firmiter nego, ipſe enim dicit in quinto lib. pag. 256. quinque modis rem ablatam repeti poſſe, vel teſtibus, vel legibus, vel inſidijs, vel aliena virtute, vel propria, & concludit, quod ſi Militi auferatur honos, non tenetur recuperare illum, niſi in Duello viribus proprijs, ac propriæ innixus virtuti, cui quidem opinioni nec debeo, nec vllo modo aſſentiri poſſum; nam licet conſeruandi honoris gratia, aliquãdo Duellum accipere permiſſum ſit, hoc debet intelligi quando reſarciri, vel aliter recuperari non valeat, ſin autem Miles honorẽ ſuũ readipiſci poteſt adæquato reſponſo prouocanti, debet, & facere tenetur, ſaltem vt Chriſti athleta quia prius Dei legem in Baptiſmate profeſſus eſt, quam mundi, & cum ad terrenam militiam adſcriptus fuit, non ideo tamen ſolutus remanſit à vinculo obſeruandæ legis, quam prius profeſſus eſt. Reſpondens igitur irritanti ad Duellum modo ante dicto, iuſtè, & cumulatè ſuum tuetur honorem, & magnũ ſtrenui Militis ſpecimen præbet.

Quodnam diſcrimen inter Duellum, & Rixam reperiatur. Cap. IX.

QVia non raro inopinata ſuccedunt prouocationes ex improuiſo, ſciendum eſt, non omnes compræhendi ſed tantum illæ, quę fiunt ex condicto, animo ſcilicet deliberato, & data opera, hoc enim eſt diſcrimen inter Duellum & rixam, nam Duellum eſt pugna inter duos ex condicto, rixa verò eſt alteratio ab ira, ſanguiniſq; calore procedens abſq; animi deliberatione, & ideo verba, quæ ab animi cõmotione, ſubitoq; furore procedunt, non ſunt irritatoria ad Duellum; exempli gratia, duo Milites ludentes iraſcuntur, alter ad alterum dicentes, fraudolenter ludis, reſpondet alter, mentiris, & hoc tuebor armata manu, ſtrictoq; gladio ſubſtinebo, acceptat ille irritationẽ, ſed interim interponuntur amici qui eorum litem componunt, hoc non eſt duellare, ſed rixare, & iraſci, & illa prouocationis acceptatio non eſt ex compoſito, ideſt animo certo, ac deliberato duellandi, qua propter dici poteſt, quod fit calore iracundiæ, pro non facto haberi debet.

Qui ab excomm. lata contra Duellantes, poſsint aliquando abſoluere extra mortis articulum. Cap. X.

PRo huius capitis declaratione, tria ſunt obſeruãda, Primò quod ſi loquimur de foro exteriori, nulli

nulli dubium eſt, ad ſolum Pontificem ſpectare de abſolutione excommun. & relaxationis interdicti, duobus caſibus exceptis, primò in articulo mortis, ſecundò ſi poſt publicationem huius Bullæ, aliquis haberet facultatem à Sede Apoſtolica abſoluendi, & relaxandi, vt patet ex illis verbis. *Cuius interdicti relaxationẽ, aut excomm. abſolutionem ab alio quã à nobis.*

Si vero loquimur de foro interiori, ſciendum eſt, Epiſcopum abſoluere poſſe, ex facultate ſibi conceſſa à Conc. Trid. in ſeſſ. 24. c. 6. de reform. delinquentes ſibi ſubditos in ſua Diœceſi, quotieſcunq; duntaxat Duellum eſt occultum.

Nec obſtat illa clauſula derogatoria, *Etiam prætextu quarum vis facultatum, & indultorum quibusuis perſonis*, quia in dicta clauſula nulla ſit mentio de Conc. Trid. & ad reuocandam dictam facultatem, requiritur vt dicunt communiter Doctores, quod ſpecialis mentio de illo fiat, ex Couar. *in lib. 4. variarum reſolut. cap. 16. num. 6. verſ. Item decretales epiſtolas. in fine.* Sanchez de matrim. *tomo 3. lib. 8. diſputat. 35. num. 17.* & ita obſeruauit Sixtus V. in ſua Bulla contra Clericos malè promotos, & quamvis reſeruatio huius excomm. ſit facta à Clem. poſt Concil. Trid. nihil refert, nam cum talis facultas ſit generalis, & conceſſa dignitati, & non perſonæ, ita generaliter debet intelligi. Nauar. *in conſil 43. num p. & 2 de ſent. excomm.* Secundò ſciendũ eſt, quod quando excõm. Duelli eſt cauſſa publica, & excomm. eſt impeditus, ne Sedem Apoſtolicam adire poſſit, tunc Epiſcopus poteſt eum abſoluere. Nauar. *in Man. cap. 27. nu. 89.* Silu. *in verbo abſolutio 4. num. 7.* & hanc facultatem

ha-

401

habet Epiſcopus in iſto caſu, tanquam delegatus à lege, vt docet Sanchez. *de Matrim. tomo p. lib. 2 diſp. 40. num 3.*

Si dices, quod Clem. VIII. in ſua Bulla, aliquem ab alio abſolui poſſe, niſi in mortis articulo non permittit, præterquam à Rom. Pontif. etiam prætextu quarumuis facultatum, ergo Epiſcopus abſoluere non poterit. Reſpondeo, quod illa prohibitio intelligitur de alijs, non autem in tali caſu de Epiſcopo diœceſano, ſicut etiam illa Clauſula non ſe extendit ad priuilegia in corpore Iuris inſerta, ita docet *gloſ. in l. § legatis ff. de re iudiciaria. Verb. non compellun tur;* ex hoc ſequitur Epiſcopum in caſu Iuſti impedimẽti quando pœnitens Sedem Apoſtolicam pro abſolutione adire ne quaquam valet, eum abſoluere poſſe ab excomm. ex cauſſa Duelli, quamuis Crimen eſſet iuxta decretum Conc. Trid. & conſtitutionem Greg. XIII. immo non ſolum per ſe poteſt abſoluere, ſed etiam committere facultatem abſoluendi in aliquo caſu, particulari confeſſario, per tex. *in capit. vlt. de offic. ordinarij.* Nauar. *in man. cap. 27. nu. 45.* Sanchez *de Matrim tomo p. lib. 2. diſput 40. à num. 1 3. vſque ad finem.* Quia Epiſcopus in dicto caſu abſoluit virtute iuriſdictionis ſibi conceſſæ in priuilegium perpetuum ratione dignitatis, vel virtute ordinariæ poteſtatis, vt inquit Sanchez vbi ſupra *num 3* at quia impedimentum poteſt eſſe temporale, debet abſoluere ſub Iuramento, vt ceſſante, adeat Romanum Pont. quod ſi id fieri neglexerit eandem excomm. incurrat.

Verum eſt aduertendam prædictam poteſtatem non

non procedere. Primò, quando excomm. qui Pontificem adire nequit propter impedimentum poſſet adire Legatum, vel alium, habẽtem priuilegium abſoluendi à tali excomm. nam in hoc caſu Epiſcopus non poſſet abſoluere, vt dicit Nauarr. *in Man. cap.* 27. *n.* 89. & Sanchez *de Matrim. vbi ſupra nu.* 8. ratio eſſe poteſt, quia pœnitens in hoc caſu non remanet remedio deſtitutus; Secundò, facultas Epiſcopi non haberet locum, quando pro comperto haberetur, impedimentum eſſe breuis temporis, nam huiuſmo di ratio haberi non debet, vt docet Vgolinus *de Cenſ. Eccleſiaſt. in genere. tabula p. cap.* 4 § 5. *num.* 16.

Tertiò tandem notandum eſt, quod Clem. VIII. anno ſalutis 1602. die 26. Nouembris, moderando Decretum ſuper abſolutione à caſibus eius reſeruatis, ab ipſo editum, anno 1601. die 9. Ianuarij. viuæ vocis oraculo declarauit, nullos confeſſarios in poſterum, vigore ſuorum priuilegiorum abſoluere poſſe (inter alios) in caſibus prouocationum, & pugnantium in Duello, in terminis Conc. Trid. & conſtitutionis Greg. XIII. vt apparet ex Bullario Stephani Quaranta. Vnde cum per prædictum decretum ſint tantum prohibiti & reſeruati Sedi Apoſtolicę caſus prouocantium, & pugnantium in Duello, iuxta decretum Conc. & Conſtitut. Greg. XIII. ſequitur quod cœteri videantur conceſſi, quia aliàs fruſtratoria eſſet exceptio ſupradictorum tantum caſuum, prouocantium, & pugnantium in Duello, ſi in alijs non exceptuatis non eſſet reſtituta facultas. Quapropter Confeſſarij omnes, tam ſeculares, quã regulares habentes facultatem ex aliquo priuilegio

ab-

abſoluendi à caſibus Summo Pont.reſeruatis, exceptis caſibus Bullæ Cœnæ,& Decreti prædicti, vigore ſuorum priuilegiorum in caſibus Duelli extra decretum Conc.& conſtitut. Greg.XIII. abſoluere poſſunt, vt optime docet Alexan.Peregrinus in ſuo tract.de Duello pag.195.

Quomodo ſe habere debeat Confeſſarius, dũ abſoluit illapſum in pœnas Duelli in articulo mortis, & quis nam dicatur Articulus mortis. Cap. XI.

QVod autem ſpectat ad beneficium abſolutionis in foro conſcientiæ largiendum in articulo mortis, ei qui excommunicationem contra Duellantes latam incurrit; Notandum eſt, quemlibet Confeſſarium huiuſmodi facultatem habere, ægrotus tamen ſub iuramento abſoluendus eſt, vt (ſcilicet) ſi conualuerit adeat Romanũ Pont. à quo iterum abſoluatur, quòd ſi Romanam Curiam non adierit, eaſdem contra duellantes pœnas incurrat.

Quod autem attinet ad articulum mortis,dico illum dici articulũ mortis, vbi quis probabiliter moriturus exiſtimatur,vt quia propinquus eſt morti, vt iudicio peritorum intra paucos dies creditur moriturus,quatenus quis eſt infirmus. Præter ægritudinem autem, ille articulus mortis putatur, vbi quis itidem infra paucos dies moriturus exiſtimatur, & ſi ratione præſentis periculi mors eſt in fieri, vt docent Philoſophi. Hinc ſenex de cuius morte dubitatur,

tatur, eſt in articulo mortis, licet nulla infirmitate detineatur. Item qui eſt in maris tempeſtate, & naufragium probabiliter imminet; Item prælium ac conflictum ingreſſurus. Item damnatus ad mortem, cuius mortis executio intra paucos dies eſt facienda. Item, qui pertranſire coguntur loca periculoſa, vbi fures, ac banniti commorantur, qui tranſeuntes ſolent occidere. Item mulier partui proxima, quæ difficile parere ſolet, & præcipuè vbi primo parturit. Item qui ſe caſtrandos tradunt, & tandem vbi eſt in omni caſu periculum mortis imminens, iſte dicitur articulus mortis. Nauar. *in Man. cap. 2. num. 8. & cap. 26. num. 31.* Sylueſt. *in verbo abſolutio p. num. 8. & 10.* Couar. *in cap. Alma Mater p. 1. §. 11. num. 8. de ſent. excomm. lib. 6.* & Sayr. in Theſaur. caſ. conſcien. *lib. 2. cap. 20. num. 28.*

Qui in Duello lædit, vel occidit, ad quam reſtitutionem teneatur in foro coſcientiæ. Cap. XII.

IN hac difficultate duæ ſunt opiniones, quarum prima eſt, quod ad nullam reſtitutionem teneatur, qui in Duello alterum lædit, vel occidit, nam vnuſquiſq; tenetur ſuam famam tueri, quia defenſio eſt de iure naturæ, ſed ex communi hominum ſententia, qui prouocatus non acceptat Duellum amittit ſuum honorem, ergo ad nullum tenetur damnum etiam ſi occidat prouocantem, cum ad ſuam defenſionem id faciat.

409

Secunda verò opinio oppoſitum tenet, ſcilicet, qui in Duello lædit alterum, vel occidit teneatur in foro conſcientiæ reſarcire læſo, vel filijs, & hæredibus occiſi quancunque iacturam, quam illi ratione leſionis, & occiſionis perpeſſi ſunt, ſic Alex. Peregr. *tract. de Duello quæſt. 39.* ratio eſſe poteſt, qui pugnat in Duello dat operam rei illicitæ cum Duellum ſit prohibitum, ergo, ſi ex Duello ſequitur læſio, vel Mors, qui lædit tenetur reſarcire quaſcunq; iacturas, nam danti operam rei illicitæ, quæ prohibita ſunt ex præcepto Iuſtitiæ imputantur omnia quæ ſequuntur, etiam præter voluntatẽ ſuam Sylu. *in verbo cauſa legalis* §. *8.* Nauar. *in Man. cap. 17. num. 179. & alij.*

Item Duellantes puniri debent, vt homicidæ iuxta Conc. Trid. ſeſſ. *25. cap. 19. de reform.* ſed qui alterum iniuſtè occidit tenetur reſarcire læſo, vel filijs, aut hæredibus iacturam, quam illi ratione necis, vel percuſſionis perpeſſi ſunt, vt inquit Scotus *in 4. ſent. diſt. 15. quæſt. 3.* ergò qui in Duello lædit, vel occidit tenetur reſarcire quancunq; iacturam.

Hæc ſecunda opinio verior mihi videtur, & ad primam reſpondetur, quod ius naturale, quod concedit vim vi repellere, intelligitur de inuaſore, quẽ aliter euadere nequimus, niſi lædendo, vel occidendo, prouocatus verò ad Duellum non patitur talem vim, & licitè, & abſq; detrimento ſui honoris poteſt recuſare Duellum, vt diximus ſupra in cap. 8. huius tractatus.

Immo per decretum Conc. Trid. *ſeſſ. 29. cap. 19.* § *qui vero*, ſub decreto de reform. duellantes decla-

clarantur infames, & ideo interpretatiuè duellans dicitur aggreſſor, vel ſaltē congreſſor. Salon. *in 2. 2. Diui Thom. quæſt. 64. art. 3. concluſ. 3. verſic. ſecundo ſi in aliquo.* Nec obſtat vulgaris hominum opinio, nam regulæ Duellorum lege rationis, & non iuxta prauas conſuetudines, vt vulgarem hominum opinionem ſunt regulandæ, vt docet Mutius Iuſtinopolitanus *in tract. de Duello lib. 3. cap. 4.* Sed de hoc ſatis, nunc aggrediamur quæſtiones.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum Hæbrei, & alij Infideles non baptizati afficiantur pœnis ſi Duellum committunt.

QVod omnes perſonæ cuiuſcunque ſexus, gradus, & conditionis ſint, compræhendantur in pœnis contra duellantes inflictis, patet luce meridiana, vt in Bullis Summorum Pontif. videri poteſt; Sed an Hæbrei debeant in his pœnis compræhendi, cum ſint extra gremium Eccleſiæ, hoc videndum eſt.

Prima fronte, non compræhendi videtur eſſe dicendum, nam inter illas pœnas adeſt excommun. at Hæbrei, & alij infideles non poſſunt excommunicari, quia per Baptiſmum Chriſti fidem non ſunt profeſſi, nec adhuc recepti ſunt ad communionem Eccleſiæ, ergo ipſa priuari non poſſunt per excōm. nam priuatio præſupponit habitum, & quod quis

non habet,illud ei adimi non poteſt.

Præterea Duellum fuit prohibitum, ex eo quia oriebatur animarum perditio, ſed infidelium animæ iam ſunt in poteſtate Demonum, ergo non debent comprænhendi in pœnis.

Attamẽ oppoſitum verius mihi eſſe videtur, quapropter diſtinguendum eſt,vel ſumus in ſtatu Eccleſiaſtico,vel ne,ſi ſecundum,tunc Iudeos,& alios infideles Baptiſmo carentes, non affici pœnis vtique affirmarem, quia nec ratione dominij temporalis, nec ſpiritualis Summo Pont. ſubduntur, & iudicare de ijs, quæ foris ſunt, non eſt ſui iuris. cap. *Multi 2. queſt. p.* ſed tantum legibus Principum, ſub quorum dominio ſubduntur, puniri debent. Si vero ſunt in ſtatu Eccleſiaſtico,compræhenduntur, quia ſubduntur Pontif. & eius legibus, quatenus temporalis Princeps eſt. ſic dicit Lucas Floronus in ſuo tractatu de prohib.Duelli. *cap. 5. §. 4.*

Nec obſtant in contrarium adducta, nam licet infidelis excommunicationis pœna affici non poſſit, tamen aliæ pœnæ in ipſum exerceri poſſunt, & quamuis ſit in ſtatu damnationis, ex eo quia eſt in hac vita mortali,poteſt conuerti,& ſaluari,nam omnis malus (vt inquit Diuus Auguſtinus in pſ. 54.) ideo viuit, vt corrigatur, aut per illum bonus exerceatur, ſed dum moritur in Duello,vitam & animã perdit, ergo dicendum eſt, Hæbreos, & alios infideles, dum ſunt in ſtatu Eccleſiaſtico, compræhendi in alijs pœnis contra Duellum, præter excommunicationem.

QVAE-

QVAESTIO II.

Qui plures actiones faciunt contra Bullam Clem. VIII. an incidant in plures excomm.

IN plures excomm. illi dicuntur incurrere quando ſi ſemel ſunt excommunicati, antequam ab illa excomm. abſoluātur, iterum committunt idem, vel aliud delictum, cui eſt annexa excomm. Modo ſi aliquis incurrit pœnas Duelli, & ante quam in foro conſcientiæ abſoluatur, facit plures actiones diſtintas ad ipſum Duellum ſpectantes, quot actiones facit, tot excommunicationes incurrit, & hoc duppliciter probari poteſt.

Primò, vbi quis vnum facit, quod habet multas qualitates pro quibus ſingulis pœna eſt impoſita, intot excomm. incidit quot ſunt illæ qualitates, vt inquit Vgol. tract. de Cenſ. Eccleſ. *capit. 16. §. 3.* & Sayrus *de Cenſ. Eccleſ. lib p. cap x, num. p. in fine,* & alij quam plures, at quia in Duello ſunt diuerſa facta, pro quibus ſingulis pœna eſt impoſita, vt patet ex Bulla Clem. VIII. ergo quot aliquis actiones facit ad Duellum ſpectantes in tot incidit excommunicationes, quia contumacia multiplicata, & pœna multiplicari debet.

Secundò, probatur à ſimili, nam qui eadem percuſſione plures Clericos percutit in tot excomm. incidit, quot ſunt Clerici percuſſi. Vgoli. vbi ſupra, Item qui offendit Bullam Cœnæ Domini, in pluri-

bus

bus capitibus, plures incurrit excomm. ergo ſimiliter qui plura Duella committit in plures excomm. incidit. Floronus in ſuo tract. de Duello. *cap.* 5. §.6.

Secus verò ſi in eodem facto, & eadem actione, nam quis præbat arma, commeatum, & eſt Patrinus in Duello, vnicam incurrit excomm. quia omnes illæ actiones cum tendant ad idem factum, & vnica actione Morali ſint factæ, pro vnico actu haberi debent. Sic Peregrinus de Duello. quæſt. 14. concluditur ergo quod qui plures actiones facit contra Bullam Clem. VIII. in diuerſis factis, tot excomm. incurrit, quot ſunt illæ actiones, ſecus verò ſi in eodem facto.

QVAESTIO III.

An requiratur vt Duellum fiat armis ad hoc vt duellantes incurrant pœnas Bullæ Clem. VIII. & quæ arma intelligantur.

QVando pugna fit ſine armis, pœnas conſtitutionis Clem. VIII. non habere locum, nulli dubium eſſe poteſt, nam potiſſima ratio prohibitionis Duelli eſt, quia in eo, mutilatio, aut vulneratio membrorũ, morſq; corporalis, animarumq; perditio ſolet occurrere, quæ ratio ceſſat, quando pugna, ſeu Duellum fit ſine armis, verbi gratia, ſi duo pugnã committunt pugnis, vel brachijs, non incidunt in pœnas, quia cum in eis ceſſet ratio legis, debent ceſſare & pœnæ. *cap. cum ceſſante. de appellat.*

Nec obſtat dicere illud eſſe Duellũ, quia ſi Duellum,

lum, improprium eſt, cum nullum adſit mortis periculum, aut mutilationis, vel vulnerationis, ſaltem quo ad probationem; ſic Lucas Floronus intelligit dictum Sayri. *lib. 7. cap. 13. in Theſau. caſ conſ.* Nec etiam obſtat ſi dicatur, corpora pugnis fieri cruenta, ſicut & brachijs cõtingere poſſe, quia eſto quod hoc euenire poſſit, rarò tamen id fiet, qua propter non debet haberi in conſideratione, nam lex adaptatur ad ea, quæ contingunt ſæpius. *l. nam ad ea, ff. de legibus.*

Modo loquẽdo de armis ad Duellũ ſpectantibus vt propriè dicatur Duellum, dico ad Duellum requiri arma bellica, quæ facta ſunt ad pugnam, non tantum principaliter, verum etiam ex intentione duellantium, nam licet gladius ad incidendum panem, ſecundum Panorm. armorum nomine non compræhendatur, ſicut & lapides, & baculi, tamen eo ipſo quod per duellantes eliguntur, ex eorum intentione facta ſunt arma bellica, vt ex Nau. *in Man. cap. 27. num. 139.* & Iuriſconſult. *in l. armorum ff. de Verbo* inquit, Armorum appellatio non tantum ſcuta, & gladios, & galeas ſignificat, ſed & fuſtes, & lapides. ergo qui cum illis Duellum committunt, incurrunt pœnas Duelli, nam in eodem Duello, & vulnera & mortes occurrere poſſunt, & de Duello cum baculis facto, Floronus tract. de Duello *cap. 5. §. 9.* tenet eandem opinionem.

QVAESTIO IV.

An liceat Clerico prouocato acceptare Duellum.

REſpondeo nullo pacto acceptare poſſe Duellum, ſin vero è manibus prouocantis effugere nequiret, tunc ad euitandam mortem ſe defendere teneretur, neque irregularitatem incurreret, quamuis inimicum occideret, cum non aliter ſe tueri poſſet, vim enim vi repellere licet, cum moderamine inculpatæ tutelæ. Sed ex Diuo Thomma notandum eſt, hanc regulam tres conditiones requirere, ad hoc vt Clericus prouocantem interficiens in ipſa defenſione, non incurrat irregularitatem, Modum ſcilicet, Tempus, & Cauſſam; Modum, hoc eſt, æqualia arma, Tempus, ideſt, vt ipſa defenſio fiat in eadem pugna; ſecus enim vltio non defenſio diceretur, Cauſſam tandem, nempè vt huiuſmodi pugna propriæ vitæ tuendæ ſolum fiat; Quibus conditionibus quartam addere mihi viſum eſt, nimirum Clericum eſſe innocentem à crimine, cuius à prouocante inſimulatur, ſecus enim ſi ſemetipſum defendendo hoſtem occideret, irregularitatem incurrere vtiq; affirmarem.

QVAESTIO V.

An, ſi duo ſint Iudicis ſententia ad mortem damnati, poſſint licitè à Iudice, vel Principe cogi, vt mutuo ſe occidant.

VIdetur eſſe licitum, quia hoc nihil aliud eſt, quam conſtituere, vt alter ſit miniſter Iuſtitiæ ad occidendum alterum, & cum vterq; ſit reus mortis, & per Iudicis ſententiam ad mortem damnatus, videtur quod vterq; pugnam licitè acceptet. Item quia reus mortis iuſtè poteſt damnari, vt fame pereat, ergo vt pugnet cum altero. Reſpondeo non eſſe licitum, aut ſaltem non expedire vt ſic fiat. ſic ait Maior. *In 4. diſtin.* 15. *q.* 23. nec enim expedit, vt vtriq; detur facultas ſe tuendi contra alterum, & reſiſtendi alteri. Si dices an data à Principe facultate, vt alter licitè occidat alterum, & vterq; licitè bellum acceptet, dico vtrunq; eſſe licitum, quia vterque conſtituitur Miniſter Iuſtitiæ à Iudice ad occidendum alterum.

413

QVAESTIO VI.

An, ſi Iudex falsè accuſato dicat ſe eum pro conuicto, & reo habiturum, & eum condemnaturum, niſi Duellum ſuſcipiat, & ſe purget à crimine, licitè poſſit accuſatus acceptare Duellum, cum ſit innocens?

IN huiuſmodi difficultate tres ſunt opiniones; quarum prima eſt, quod ſi falsè accuſatus condemnandus eſt ad mortem vel amputationem membri ob cauſſam criminalem, poſſit acceptare Duellum. Si vero condemnandus eſt in cauſſa ciuili, ad rerum, vel honoris iacturam, tunc nequaquam, ita ſentiunt quidam, quos citat Sylu. *in Verbo Duellum q. 2.* Secunda opinio eſt aſſerentium id licitum eſſe ſemper, ſiue in cauſſa ciuili, ſiue in criminali. Sic ait Ang. *in eodem Verbo num. 2.* ex Rainerio, & Lirano *p. Reg. cap. 16.* Tertia tandem opinio eſt tenentium eſſe licitum ſiue in cauſſa criminali ad ſeruandam vitam, vel membrum, ſiue in cauſſa ciuili pro defenſione honoris, vel rerum ſuarum. Ita Sila. *in Verbo Duellum q. 2.* citans pro hac ſententia Anton. Piſan. Roſſellam, Supplementum, Raiñerium, Summam Confeſſo. Goffredum, & Hoſtienſem.

In hac re dico. Primò in cauſſa criminali ſi condemnatio eſt ad mortem, vel membri amputationẽ, tunc probabile eſt eſſe licitum. ſic enim ſentiunt

Caiet.

Caiet. *2. 2. q. 95. & cap. 15. nu. 9.* Secundò in cauſ-ſa ciuili pro defenſione honoris, vel rerum, probabilius videtur eſſe quod non ſit licitum. quia ſic plures ſentiunt, at probabile eſt etiam oppoſitum, quia licitum cuiq; vitam ſuam periculo mortis exponere pro defenſione ſui honoris vel rerum ſuarum.

QVAESTIO VII.

An, liceat Principi ad euitanda maiora ſcandala permittere Duellum.

RESpondeo id licere, nam permiſſio ex qua cõmodum publicum procedit, non pœna ſed præmio digna eſt, quemadmodum ad euitanda peccata maiora, Lupanaria permittere licet. Sic Arm. *in Verbo Duellum num. p* Emmanuel sà *nu. 2.* Lyran. *p. Reg. cap.* 17. Valent. 2. *2. diſp. 3. q.* 17. *puncto p. in fine.*

Sed dicet aliquis, Clem. VIII. ſupponit interdicto Eccleſiaſtico Ciuitates, Terras, Oppida, Caſtra, vel loca, in quorum territorijs id facinus admiſſum fuerit ſcientibus dominis, aut magiſtratibus, vel ſenatu, aut populo, & tacitè, vel expreſſe permittentibus, aut tollerantibus (vt diximus capit. *6.*) Ergo Princeps vllo modo Duellum permittere poterit.

Reſpondeo, Ciuitates, Terras, Oppida, & ſimilia ſupponi interdicto Eccleſiaſtico, quando Princeps Duellum permittit illicitè, & ſic debet intelligi dictum Clem. VIII. ſecus ſi licitè nempe ad euitanda

maiora ſcandala, nam permiſſio licita, ac iuri naturali, reguliſq; prudentis gubernationis conſona ad proſpiciendum communi bono, nec interdicitur, nec pœna, ſed præmio digna eſt, vt optimè docet Sãchez *de præceptis Decal. tom. p. lib. 2. cap. 39. pag. mihi 314. num. 30. ex edictione Brixiana*.

QVAESTIO VIII.

An, qui inciderit in pœnas Duelli, & non denuntiatus, poſsit aſsiſtere miſſæ antequam abſoluatur, & ſacerdos hoc ſciens debeat ab illa abſtinere.

AD huiuſmodi difficultatem breuiter reſpondetur, quod ſcilicet qui incidit in pœnas Duelli, aſſiſtere miſſæ nequaquam poteſt, quamuis non ſit denuntiatus, nam ſumus in pœnis, quæ non requirunt actum aliquem Iudicis, quales ſunt Cenſuræ à Canonibus indictæ. Caiet. *2. 2. q 62. art. 3.* Sylu. in Verbo *Pœna. q. 28.* vt eſt excõmunicatio, etenim eo ipſo quod quis facit actum damnatum ſub tali pœna eſt excommunicatus, ſed qui incidit in pœnas Duelli ſtatim tenetur vinculo maioris excomm. quæ priuat excommunicatum ab officijs diuinis, & præcibus cum alijs faciendis, vel audiendis, Nau. *in Man. capit. 27. num. 18.* ergo non poteſt aſſiſtere Miſſæ.

Quod autem ad Sacerdotem ſpectat, ex communi omnium Theologorum ſententia, tuta conſcien-

ſcientia, ſciens illum incurriſſe pœnas Duelli, coram eo celebrare poteſt, ſecus verò ſi eſſet denunciatus, vel ita publicus clerici percuſſor, vt nulla valeret tergiuerſatione celari.

QVAESTIO IX.

An, poßint abſolui qui Duelli conditiones acceptauerint, si persiſtant in voluntate pugnandi.

NEgatiuè reſpondeo, nec quo ad malum culpæ, nec quo ad malum pœnæ, etenim in excommun. dupplex malum aſſignatur, culpæ ſcilicet, & pœnæ.

Non poſſunt abſolui quo ad malum culpæ, nempe ipſum peccatum, quia cum ſit ex nobis, non poteſt à nobis tolli ſine voluntate noſtra, vnde cum iſti perſiſtant in voluntate pugnandi, ex conſequenti perſiſtunt in voluntate peccandi, qua propter iſtud peccatum non poteſt tolli abſq; eorum voluntate. Nec etiam quo ad malum pœnæ, quia cum ablata excommun. non ſit ſpes de emendatione, non ſunt abſoluendi, ſed tanquam ethnici, & publicani, ideſt vt Gentiles, & infideles haberi debent. Abb. *in cap. ab excommunicato in fine de reſcript.*

QVAE-

QVAESTIO X.

An, ignorantes Bullam Clem. VIII. excuſentur à pœnis in foro conſcientiæ.

AFfirmatiuè reſpondeo, nam vt inquiunt D. Thom. *p 2. q. 26. art. 8.* Caiet. eodem loco, & Tabien. *in Clem. p. q 39. de priuileg.* Ignorantia, Obliuio, Imprudentia, bona fides, & ſimplicitas excuſant, ſic etiam Floronus de Duello *cap. 18.* §. 2. Sed aliquis obijcere poſſet, opus non eſſe vt quis ignoret pœnam, nam eo ipſo quod quis committit aliquod ſcelus, quamuis probabiliter ignoret pœnam aduerſus id ſcelus agentem, nempè quod homicida ſit reus Mortis, vel quod excommunicatus celebrans ſit irregularis, proculdubio qui peccatum homicidij committunt, vel in excomm. celebrant, incurrunt pœnas mortis, vel irregularitatis, quia ſecũdum Couar. *de ſent. excomm. in* § *x. num. 9.* non eſt neceſſe, vt delinquens puniatur, quod is ſcientiam habeat pœnæ pro ipſo delicto ſtatutæ, ſed ſatis eſt, vt ſciat, vel ſcire debeat, actum quem agit, malum eſſe, ex quo ſequitur, quod ignorantia non excuſat ab excomm. Bullæ Clem. VIII.

Reſpondeo, dictum Couar. procedere in ceteris pęnis, non autem in cenſura excomm. ratio eſſe poteſt, quia circa excomm. oculus ſemper eſt habendus, an ſit inobediens, & ita excommunicatio exigit inobedientiam, ſed qui ignorat, non poteſt dici inobediens. cap. cum pro voluntate de ſent. excom. ergo qui ignorat Bullam excuſatur à pęna.

QVAE-

QVAESTIO XI.

An, qui prouocat ad Duellum non animo ad pugnam veniendi, ſed tantum vt vir fortis appareat, incidat in pœnas.

CIrca huiuſmodi difficultatem diuerſæ opiniones inter Doctores vertuntur, nam alij tenent partem negatiuam, alij verò affirmatiuam, ſed quo ad forum exteriorem tantum, non autem conſcientiæ, vt ſcilicet incurrat alias pęnas, præter excommun. Alij tandem affirmant, ipſum pęnas incurrere quo ad vtrumq; forum, quæ opinio mihi videtur verior pluribus de cauſſis. Primò quia illa prouocatio poterat acceptari à prouocato & eſſe cauſſa veniendi cum effectu ad pugnam, nam licet prouocans habuerit animum non pugnandi, tamen voluntas in momento immutari poterat, & ſic prouocans præbuit materiam, & occaſionem proximam pugnandi, & quia in Bulla Clem. VIII. prohibentur ſcripta, ſeu manifeſta, vel fides, quæ ſine expreſſa prouocatione, occaſionem duellandi pręberé ſolent; ergo ſi huiuſmodi ſcripta ſunt prohibita, & ipſa facientes ſunt excommun. & incurrunt pęnas in vtroque foro inflictas, ſic Verba prouocatoria, quæ occaſionem proximam præbent duellandi, ſunt prohibita in vtroque foro, cum eadem ratio ſit in vtroque caſu, & per conſequens eadem debet eſſe iuris diſpoſitio. *cap. Dudum, d. 2. de elect. c. cum dilecta de confirmat. vtili, vel inutili*; quia ratio com-

116

comprætendit omnes caſus, etiam non expræſſos in lege, & conſtitutione. *Cardinalis Pariſ. conſil. 83. num. 12. volum. 3. Decius conſ. 284. colum. 2.*

Secundò Clem. VIII. in ſua conſtitutione excommunicat prouocantes ad Duellum, etiam non ſecuto effectu, ſolum quia præbent occaſionem duellandi, quam quidem occaſionem præbet qui prouocat non animo pugnandi, cum ille animus non ſit notus prouocato, nam aliquando fieri poteſt, vt prouocatus prouocationem acceptet, & ex conſequenti pœnas incurrat, ergo talis prouocans incidit in excomm. & alias pœnas inflictas, ex eo quia præbuit occaſionem Duellum acceptandi.

Tertiò, Pius IV. in ſua Bulla Duelli ſic præcipit, *Illoſq; tam ad pugiles taliter pugnantes, quam eos ad id tentantes, & prouocantes*. Vbi notandum eſt illud verbum (tentantes) nam qui prouocat, quamuis non habeat animum pugnandi, verè tentat prouocatum.

Quartò tandem, Eccleſia quo ad materiam Duelli iudicat actiones exteriores conſiderando finem ipſius Duelli, non autem prouocantis, at illa actio prouocantis eſt mala, ergo deliquit contra conſtit. prædictas, ſi deliquit ergo incidit in pœnas; probo minorem, nam prouocatio eſt prohibita, vt patet, ergo dato quod non ordinetur ad pugnam ex intentione prouocantis, nihilominus prouocans incurrit excomm. quia ſufficit, vt deliberatè velit actionem illam, quæ eſt principaliter prohibita, nam finis cum ſit extrinſecus illo actui, eſt accidentalis, vt inquit Vaſqu. in p. 2. D. Thom. tomo p. diſput.

51. cap.

51. cap. 2. & D. Thom. in 2. 2. quæſt. 141. art. 6. in reſp. ad primum; ergo in conſideratione non eſt habendus.

Nec valet ſubterfugere dicendo, animum & propoſitum diſtinguere maleficia, ſicuti etiam prouocationem factam abſq; animo pugnandi, non eſſe prouocationem formalem ad Duellum, ſed tantum materialem, & per conſequens qui prouocat non animo duellandi non incidat in pœnas, nam reſpondetur, verum eſſe animum diſtinguere maleficia; at in præſenti conſtitutione illa actio externa abſq; animo pugnandi eſt prohibita tanquam occaſionem præbens duellādi, ſicuti etiam eſt prohibita non ſolum formalis, ſed & materialis prouocatio, vt probatum eſt in prima, & tertia ratione, ergo qui prouocat vel animo pugnandi vel ne, incurrit pœnas.

QVAESTIO XII.

An ſpectatores de induſtria incurrant pœnas non ſecuta pugna, nec actu ad pugnam.

PRo intelligentia notandum eſt, quod prouocatio poteſt aliquando fieri cum pacto vt pugna fiat coram Franciſco & Antonio, acceptante ipſo Franciſco & Antonio velle eſſe præſentes pugnæ, in quo caſu licet non ſequatur pugna; ambo tamen poſſunt dici ſpectatores de induſtria, quia data ope-

ra volebant eſſe ſpectatores Duelli. Modò quæritur an huiuſmodi ſpectatores, qui iam velle ſe eſſe præſentes promiſere, ſi non ſequatur Duellũ, incurrant excomm. & alias pœnas inflictas?

Affirmatiuè reſpondeo, quia ſic colligitur ex Bulla Greg. XIII. quæ incipit, *Ad tollendum*; & etiam ex Bulla Clem. VIII. in qua ſpectatores de induſtria commemorantur inter prouocantes, conſilium, opem, vel fauorem præſtantes, vt patet præciſe in illis verbis; *Huiuſmodi delicti ſocios de induſtria ſpectatores, patrinos, fautores, defenſores, &c.* ſed prouocantes, opem, & conſilium præſtantes incurrunt excomm. etiam non ſecuta pugna, vt patet in eadem Bulla Clem; ergo etiam de induſtria ſpectatores incurrunt. Nec vales dicere pugna non ſequitur, ergo non ſunt ſpectatores, quia eo ipſo quod vadant ad locum deſtinatum pugnæ animo videndi, vel acceptant velle eſſe ſpectatores, dicuntur ſpectatores impropriè, id eſt parati ad videndam pugnam, & talis actio eſt prohibita, dato quod non ſequatur pugna, & ſufficit ad incurrendam excomm. & pœnas Duelli.

Laus Deo.

INDEX CAPITVM.

Summa Bullæ Clem: VIII. *pag.* 1

De diffinitione Duelli, & eius origine. Cap. I. 9

De Duelli prohibitione à Summis Pontif. nec non à Trid. Conc. fulminata. Cap. II. 10

De ijs, qui in Bulla Clem. comprehenduntur. Cap. III. 11

De Verbis prouocatorijs, ac de conditionibus neceſſarijs ad Duellum. Cap. IV. 13

Quando Duellum ſit licitum nec ne. Cap. V. 14

De pœnis contra Duellum. Cap. VI. 16

Quando liceat acceptare Duellum. Cap. VII. 18

Quam ſit heroicum non acceptare Duellum, & quomodo prouocantibus ſit reſpondendum. Cap. VIII. 24

Quodnam diſcrimen inter Duellum & rixam reperiatur. Cap. IX. 28

Qui ab excomm. lata contra Duellantes poſſint aliquando abſoluere extra mortis articulum. Cap. X. 28

Quomodo ſe habere debeat Confeſſarius, dum abſoluit illapſum in pœnas Duelli in articulo mortis, & quiſnam dicatur articulus mortis. Cap. XI. 32

Qui in Duello lædit, vel occidit, ad quam reſtitutionem teneatur in foro conſcientiæ. Cap. XII. 33

G 2 Index

Index Quæſtionum.

QVÆSTIO PRIMA.

AN Hebrei, & alij infideles non baptizati afficiantur pœnis ſi Duellum committunt. pag. 35

QVÆSTIO II.

An qui plures actiones faciunt contra Bullam Clem. VIII. incidant in plures excomm. 37

QVÆSTIO III.

An requiratur, vt Duellum fiat armis, ad hoc vt duellantes incurrant pœnas Bullæ Clem. VIII. & quæ arma intelligantur. 38

QVÆSTIO IV.

An liceat Clerico prouocato acceptare Duellum. 40

QVÆSTIO V.

An ſi duo ſint Iudicis ſententia ad mortem damnati, poſſint licitè à Iudice, vel Principe cogi, vt mutuo ſe occidant. 41

QVÆSTIO VI.

An ſi Iudex falſo accuſato dicat ſe eum pro conuicto, & reo habiturum, & eum condemnaturum niſi Duellum ſuſcipiat, & ſe purget à crimine, licet poſſit accuſatus acceptare Duellum, cum ſit innocens. 42

QVÆSTIO VII.

An, liceat Principi ad euitanda maiora ſcandala, licentiã præbere perpetrandi Duellum. 43

QVÆSTIO VIII.

An qui inciderit in pœnas Duelli & non denuntiatus, poſsit aſſiſtere Miſſæ antequã abſoluatur, & Sacerdos hoc ſciens debeat ab illa abſtinere. 44

QVÆ-

An poſſint abſolui, qui Duelli conditiones acceptauerint, ſi perſiſtant in voluntate pugnandi. 45

QVAESTIO X.

An ignorantes Bullam Clem. VIII. exenſentur à pœnis in foro conſcientiæ. 46

QVAESTIO XI.

An, qui prouocat ad Duellum non animo ad pugnam veniendi, ſed tantum, vt vir fortis appareat, incidat in pœnas 47

QVAESTIO XII.

An Spectatores de induſtria incurrant pœnas non ſecuta pugna, nec actu ad pugnam. 49

FINIS.

Licentiæ, & Approbationes.

Attenta grauium, & doctorum virorum reuiſione, & approbatione Tractatus de prohibitione Duelli à Patre Magiſtro Bonauentura Colonnenſe Florentino elaborati, vt typis committi poſſit ſeruatis ſeruandis, quantum in nobis eſt, licentiam concedimus. Dat. Fani 3. Auguſti 1624.

F. Felix Franciſchinus de Caſſia Vicarius Generalis Apoſtolicus Min. Conu.

In hoc Tractatu de Duello compoſito ab Admodum Reu. Patre Bonauentura Colonnenſe ex Ordine Min. Conu. Doctore Theologo, nihil inueni quid ſit contra fidem, bonos mores, & contra Conſtitutiones Pontificias. Die 20. Maij 1624.

Pandulphus de Ricaſolis Baronibus Canon. Flor.

Licentiam concedimus vt typis excudi valeat Florentiæ præmiſſum tractatum, ordinibus conſuetis ſeruatis 24. Maij 1624.

Petrus Nicolinus Vicarius Gener. Flor.

Ego Coſmus de Pazzijs Societatis Ieſu Sacerdos ex mādato Reuerendiſſimi Patris Inquiſitoris Florentinæ Ditionis, perlegi ſupradictum opuſculum de Duello, nec in eo reperi quicquam bonis moribus ac fidei catholicę repugnans, in cuius fidem hæc ſcripſi. Die 25. Maij 1624. Florentiæ.

Idem Coſmus manu propria.

Impri-

Imprimatur.
F. Ludouicus Corbutius Inquiſitor Generalis Florentiæ.
25. Maij 1624.

Stampiſi. Adì 3. di Giugno 1624.

Niccolò dell'Antella.

	Errata.	*Corrige.*
Pag. 3	*euaſerint*	*ſuaſerint*
4	*epiſtolas*	*epiſtolas*
5	*bautentica*	*autentica*
5	*dictuue*	*dictumus*
9	*Tabienſ,*	*Tabien.*

620

Imprimatur.

F. Ludovicus Corbutius Inquiſitor Generalis Florentiæ. 27. Maij 1624.

Stampiſi. Adi 3. di Giugno 1624.

Niccolò dell'Antella.

	Errata.	Corrige.
Pag. 3	ruaſerint	ſuaſerint
4	epiſtolas	epiſtolas
5	hautentica	autentica
5	diſtnue	diſtinnue
9	Tabiuiſ.	Tabiem.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE